

F. CALVENTIUS
LIBERTUS PRIMILIUS
PAP. VI. VIR IN SUO
V. F.

Altera eodem loco

NIA MIOR JA
TIA Q. L. JUCUNDA A.

Et alio loco

CALPURNIÆ P. F. RUF.
MATRI
L. CURTIUS SP. F.
SALVIUS
LOG. IN FRONT. P. XII.

Habuit etiam Archipresbiteralem Ecclesiam amplis redditibus ornatam, & de qua legitur Bulla quædam Pontificia Alexandri III. P. M. anni vigesimi primi, ab Incarnatione MCLXXX. directa Otono Archipresbitero sanctæ Mariæ de Foro, per quam idem Pontifex omnes Ecclesias, & prædia ad ipsam spectantia liberaliter confirmat. Videlicet Ecclesiam de Carentino sanctæ Mariæ, Ecclesiam sanctæ Mariæ de Lucu, sanctæ Mariæ de Melenasio, decimam de Ponzono, de Foro, quartam partem Castri-Novi ab Incisia eom omni ditione sua, vineas de Montebartio, & prædia citra existentia; quidquid haberet Rocca Marchionis Incisæ, quidquid in Carentino, Albareto, Uviliis, atque Roncho, quidquid in Rocha Caudino, Monte Cordario, Ponzono, Monte Ascasco, in Curia Rivalentæ, Ploveræ, Peceti, in Curia de Foro, de Castronovo Burmidæ, in territorio Capriatæ, atque Masio, quo constat Ecclesiam hanc longe aliis Ecclesiis circumjacentibus & dotatam, & ornatam fuisse opulentiùs. *V.S. Col. 77. n. 60.*

Quibus accedit Vuilliarum oppidum, de quo licet & ipsum antiquius censeam, nihil tamen comperit habeo, quod dicam, nisi quod Castellum amplum, & magnificum, beneque dotatum habet.

Sed enim non sunt defraudandi alii populi, qui & ipsi mutato solo urbem hanc nostram auxerunt, & ornarunt, de quibus quamvis legum nostrarum municipalium compilatores nullam mentionem faciant, utpote qui fortasse notitiam statuti habuerint nullam, tamen cum ad manus meas statutum illud pervenerit, a me populi illi prætereundi non sunt. Ingratus quippe sim, si fileam populos de Republica nostra benemeritos, faceremque contra voluntatem Civitatis totius, quæ commemorari & istos percipit, quippe grata semper fuit patria nostra, indicatque (*judicatque*) sapienter & vere ingrato homine pejus terram nihil sustinere. Itaque qui Rempublicam auxerint, adjuverintque, illi certe mea, & publica omnium sententia laudibus extollendi sunt. Hi vero sunt Boschenfes, & Populus Portænovæ, quam nunc in agri speciem redactum videmus, at de qua tamen nihil certum habeo, nisi quod in statuto, quod maxima cum diligentia in libro *Crucis* adservatur, ratio ejus est habita, prout de populo Boschi parte dimidia. Hoc oppidum alias fuit illustre, & potens, utpote Marchionum Boschi sedes, & Regia, qui ex Alderamo, prout aliis sex Marchiones processerunt, Montisferrati scilicet, Incisæ, Salutarum, & reliquorum. Sed multo illu-

strius factum est ortu Beatissimi, & Sanctissimi Papæ Pii V. P. M., & Michaelis Bonelli sororis ejus filii, Cardinalis illustrissimi, & maximi nominis, qui cum omnibus virtutibus heroicis splendescat, celebriorem patriam suam reddit. Immo cum mentio Bonellorum familiæ pluribus in locis sit in *Crucis* libro, quem sæpe laudo, quid relinquitur, quid impedimento est Boscho, quin hanc illustrissimam familiam nobis vindicemus, ut quæ sit una ex illis, quæ patrio solo relicto, Civitati huic nostræ maximo adjumento, & flante, & reflante fortuna fuerit? Quod ipsum in multis documentis confæderationum inter Civitatem nostram, & alias facilius colligitur; ubi expressa sit mentio eorum virorum, qui ad hujusmodi fœdus percutiendum missi fuerunt, ut in historiæ processu dicetur; & quamvis hæc eadem familia primum patriæ suæ solum, veluti longo postliminio repetierit, id fortasse accidit bellis ingruentibus, & quod potissimum reor (discordiis in Alexandrina civitate pullulantibus, quod plures aliæ familiæ præclari alioqui nominis fecerunt) ut se a civium sanguine abstinere. Sed unde digressi sumus, revertamur. Hoc oppidum in dies clarius reditur ab Ecclesia sanctæ Crucis, quam fratres Prædicatores observantiæ a summo Pontifice Pio V. anni MDLXVI. constituti, religiose inhabitant; sacris, aliisque divinis incumbunt. Hic Templum magnificentissimum, & regium una cum Cœnobio nobilissimo, summo sumptu ædificavit in Christi honorem, quod postea maximis redditibus dotavit, scilicet ut essent, qui orationes Deo porrigerent, plusquam sexaginta Sacerdotes, ac ibi Cœnotaphium splendidiori marmoreo sepulchro faciendum curavit cum sequenti inscriptione.

PIUS PAPA QUINTUS
BOSCHENSIS

EX FAMILIA GHISLERIORUM ORIUNDUS,
ORDINEM PRÆDICATORUM PROFESSUS
DIEM MORTIS, UNIVERSÆQUE RESURRECTIONIS
PRÆ OCULIS HABENS
A DIE ASSUMPTIONIS SUÆ AD APICEM APOSTOLATUS
MONUMENTUM ISTUD ERIGI MANDAVIT
PRO CADAVERE SUO ERIGENDO,
QUANDO DIVINÆ CLEMENTIÆ VISUM FUERIT
IPSUM AB HOC SÆCULO NEQUAM ERIPERE.

Porro columnis multis ex pretioso marmore antiquissimo Templum hoc ornavit, & variis Sanctorum Reliquiis decoravit.

Hæc igitur sunt oppida, ex quibus condita fuit Alexandria, quæ aliis quibusvis Italiæ Civitatibus, Metropolitanis exceptis, comparanda mehercle est, & quæ licet antiquitate multis cedat, nobilitate tamen, rerum omnium usu, virorumque præstantissimorum abundantia multis est anteferenda. Fama est, eaque constans ad quindecim millia incolarum initio ad habitandum confluisse. Nunc vero ad reliquam historiæ partem dirigenda est oratio, stylusque applicandus.